

Omnes de natura Veneris & Mercurii.

ξ. *Rostrum Gallinae seu Cygni. o. Dextrum brachium Herculis cum Leonis exuviis.*

Mercurius in Cyllenem profectus, pro antri ostio depascentem testudinem invenit, quâ perpurgatâ & abstersâ, super ejustestâ, nervos ex mactatorum bouum intestino confectos, tetendit, ac Lyram confecit. De Heptachordo pleni auctorum libri. Apollodorus *lib. 2.* Avienus de Orpheo loquens. *Hic nam fila novem docta in modulamina movit.* Cum Decachordo pingitur Apollo, quia ut inquit Fulgentius, humanæ vocis decem sunt modulamina, vel cum Apolline decem celebrantur Musæ, Clio, Euterpe, Thalia, Melpomene, Terpsichore, Erato, Polymnia, Urania, Calliope, Decachordum S. Scriptura Psalterium, A. cristiani, Laudatorium, Hebræi Nablou vocant. Giraldus Synt. de Musis.

Fidicula olim Romæ Id. Octob. Columellæ manè XVI. Kal. Decemb. oriebatur. XVI. Kal. Febr. occidebat, hodiè eisdem IV. Non. Novembr. emergit. XI. Kal. Martii decedit. C. JULIO CÆSARE tertium Consule, in dodecatemorio. Sagittarii G. 16. M. 28. hærebat imperante RUDOLPHO II. Aug. P. F. Imperii Anno XXIX. Capricorni G. 9. M. 45. S. 33. obtinet. Oritur ergò AUGUSTÆ VINDELICORUM XV. Kal. Novemb, III. Non. Martii cum Sole occidit. Ab hujus occasione antiqui, viciam, fasciolos, pabulum, Lunâ silente, seri jubebant. Pluribus Plin. *nat. hist. lib. 18. cap. 25. 26. 27. 28.*

TABULA IX. Lit. I.

CYGNUS.

ΚΥΚΝΟΣ, ΟΡΝΙΣ, *Olor seu avis, Ovidio Milvius, aliis Gali-*